

eat, subsit tamen causa: eleganter Aristo Celso respondet, esse obligationem. ut puta dedi tibi rem, ut mihi aliam dares; dedi, ut aliquid facias. Atqui in Arrhæ datione tale negotium non intercedit. & ab initio hoc saltem inter partes expresse agitur, ut illud, quod gestum est, evidentius probetur. *pr. Inst. de Empt. & vend. l. 35. pr. ff. de contrah. empt. & vend.* Ut vero res illa, contractu secuto & impleto, restituatur, vel eo non impleto, ab accipiente retineatur, illud per consequentiam inter partes juris autoritate tacite tantum actum censetur, etiamsi nihil tale conventum fuerit, fatentibus ipsis dissentientibus. Donellus *ad l. 3. C. de act. empt. num. 1. ibi: & quamvis nihil tale convenerit: tamen idem convenisse intelligitur.* Hunn. *d. quæst. 52. vers. mihi itaq.* Ad verum autem contractum, etiam innominatum, verus requiritur consensus, nec sufficit fictus, vel autoritate legis præsumptus. *vid. l. 8. ff. de Præscript. verb.* ubi in fine dicitur: *tametsi quod inter eos ageretur verbis quoque stipulationis conclusum non fuisset: si tamen lex contractus non lateret: præscriptis verbis incerti & hic agi posse, nec videri nudum pactum intervenisse, quoties certa lege dari probaretur.* *facit l. 15. ff. d. t. l. 5. 6. C. de Rer. permut.* Sic etiam in chirographi datione, tacite & legis autoritate hoc conventum videtur, ut debito soluto reddatur, *arg. l. fin. C. de Solut.* illa tamen propterea nunquam veris contractibus annumerantur, vel verus contractus esse dicitur.

X XII.

Simile exemplum habemus in indebiti solutione, & dotis datione; ubi etiam res datur, & accipiens illam certo in casu restituere tenetur: quia tamen hoc non ab initio inter partes vere est actum, & res illæ aliam ob causam datæ sunt; proinde dationes illæ veris contractibus non annumerantur. *§. Item is. 6. Inst. de Oblig. quæ qd. ex contr. l. un. §. 1. & 2. C. de Rei uxor. act.* Cujuscunq; contractus initium spectandum & causa, inquit Ulpianus, *in l. 8. pr. ff. Mand.* Bachovius, *ad Wesenb. π. t. de contrah. empt. n. 9.* pro contraria sententia etiam adducit, *l. 5. C. de act. empt.* quam bene